

Il nominativo e il vocativo

VERSIONE 1 Un uovo genera Venere

In Euphratem flumen de caelo ovum mira magnitudine cecidisse dicitur, quod pisces ad ripam evolverunt et super quod columbae consederunt. Ovum excaefactum exclusit Venerem, quae postea dea Syria est appellata. Ea iustitia et probitate cum ceteros exsuperavisset, ab Iove optione data, pisces in astrorum numerum relati sunt. Ob id Syriae incolae pisces et columbas in deorum numero putant et non edunt. (Igino)

VERSIONE 2 Tirteo, il poeta condottiero

Messenii, qui per annos octoginta servi Lacedaemoniorum fuerant, cum Lacedaemoniis bellum instaurant. Lacedaemonii ad arma concurrunt, quod adversus servos dimicandum esse videbatur. Postea Lacedaemonii de bello Delphis oraculo consulto, iubentur ducem belli ab Atheniensibus petere. Porro Athenienses, cum oraculi responsum cognovissent, in contemptum Spartanorum Tyrtaeum poetam, claudum pede, miserunt. Ille imperavit ut Spartani ad supplementum exercitus servos suos manumitterent. Postea Tyrtaeus sua carmina exercitui pro contione (“prima della battaglia”) recitavit, in quibus hornamenta virtutis, damnorum solacia, belli consilia conscripserat. Itaque tantum ardorem militibus iniecit, ut stenue omnes pugnarent. Itaque victoria Lacedaemoniorum fuit. (da Giustino)

VERSIONE 3 I popoli della Germania

Usipetes Germani et item Tencteri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt. Causa transeundi fuit quod (“il fatto che”) a Suebi premebantur et agricultura prohibebantur. Sueborum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum, bellandi causa (“per muovere guerra”), ex suis finibus educunt. Reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt. Hi rursus in vicem anno post (“nell’anno successivo”) in armis sunt, illi domi remanent. Sic neque agricultura, neque ratio atque usus belli intermittitur. (da Cesare)

VERSIONE 4 Guerre contro Volsci, Etruschi e Galli

Anno trecentesimo et quinto decimo ab urbe condita Fidenates contra Romanos rebellaverunt. Auxilium his praestabant Veientes et rex Veientium Tolumnius. Quae ambae civitates tam vicinae urbi sunt, ut Fidenae sexto, Veii octavo decimo miliario absint. Coniunxerunt se his et Volsci. Sed Mamercus Aemilius dictatore et Lucio Quinctio Cincinnato magistro equitum victi, etiam regem perdiderunt. Fidenae captae et excisae sunt. Post viginti deinde annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie, mox etiam civitatem diu obsidens cepit, antiquissimam Italiaeque ditissimam. Post eam cepit et Falerios, non minus nobilem civitatem. Sed commota est ei invidia, damnatusque ob eam causam est expulsus civitate. Statim Galli Senones ad urbem venerunt et victos Romanos apud flumen Alliam secuti, etiam urbem occupaverunt. Sed a Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis superventum est gravissimeque victi sunt. Postea tamen etiam secutus eos, ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia signa militaria, quae ceperant, revocaret (= “riavere”). Ita triumphans in urbem ingressus est et appellatus secundus Romulus. (da Eutropio)

VERSIONE 5 Scipione costringe Annibale ad abbandonare l'Italia

Anno decimo quarto postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa in Hispania bene egerat, consul est factus; senatui statim visum est eum in Africam mittere. Cui viro divinum quidam inesse existimabatur, adeo ut, putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum, pugnans, exercitum eius profligatum atque in fugam versum funditus delevit. Secundo proelio castra cepit cum quattuor milibus et quingentis militibus, undecim milibus occisis. Syphacem, Numidarum regem, qui auxilii causa venerat et Afris se coniunxerat, capit et castra eius invadit. Syphax cum nobilissimis Numidis et infinitis spoliis Romam ab Scipione mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deserit. Ipse a Carthaginenses redire in Africam iussus est, quam Scipio vastabat. Ita anno septimo decimo ab Hannibale Italia liberata est. (da Eutropio)

VERSIONE 6 Vizi e virtù di Alcibiade di Atene

Alcibiades, natus in amplissima civitate, ad omnes res aptus, consiliisque plenus, (nam imperator summus fuit et mari et terra) disertus, dives, laboriosus, patiens, liberalis; idem luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur. Educatus est in domo Periclis (privignus enim eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt. Ad quod gerendum ipse dux electus est, duo praeterea collegae dati, Nicia et Lamachus. Id cum appareretur ("preparare"), prius quam classis exiret ("prendesse il largo"), accidit ut una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, deicerentur praeter unam. Suspicio maxime convenire ("ricadere") in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior quam privatus existimabatur neque ei par quisquam in civitate habebatur. (da Nepote)

VERSIONE 7 Pompeo organizza la fuga

Quibus rebus Romam nuntiatis, dicitur tantus repente terror invasisse animum civium, ut Lentulus ex urbe profugeret. Caesar enim adventare iam iamque et adesse eius equites falso nuntiabantur. Lentulum Marcellus collega et plerique magistratus consecuti sunt. Cn. Pompeius pridie eius diei ex urbe profectus, iter ad legiones habebat, quas a Caesare acceptas in Apulia hibernorum causa disposuerat. Dilectus circa urbem intermittuntur; nihil citra Capuam tutum esse omnibus videtur. Capuae primum sese confirmant et colligunt dilectumque colonorum, qui lege Iulia Capuam deducti erant, habere instituunt; gladiatoresque, quos ibi Caesar in ludo habebat, ad forum productos Lentulus spe libertatis confirmat atque his equos attribuit et se sequi iussit. (da Cesare)

VERSIONE 8 Paragone tra Catone l'Uticense e Giulio Cesare

M. Catoni et C. Caesari genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuerunt (= fuerunt), item gloria. Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus est; huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil largiendo gloriam adeptus est. In altero miseris perfrugium erat, in altero improbis pernicies; illius facilitas ("affabilità") et gratia ("indulgenza"), huius severitas et constantia laudabantur. Caesar, amicorum negotiis (interessi) intentus, illis omnibus modis indulgebat nihilque iis denegabat, quod dono dignum ("degno di essere accordato") esset. At Catoni studium modestiae, decoris, integritatis erat. Hic non divitiis cum divite certabat, sed cum strenuis virtute, cum modestis pudore, cum innocentibus continentia. Esse quam videri bonus malebat; quapropter quo minus ("quanto meno") gloriam petebat, eo magis ("tanto più") eum illa sequebatur. (da Sallustio)

Il genitivo

VERSIONE 1 Valerio Messalla Corvino

Quondam pugna cum Gallis, duce L. Furio, erat. Quidam ex Gallis unum ex Romanis provocavit. Tum M. Valerius, tribunus militum, se obtulit, et cum processisset armatus, corvus ei supra dextrum bracchium sedit. Mox commissa adversum Gallum pugna, idem corvus alis et unguibus Galli oculos verberavit, ne rectum posset aspicere. Ita Gallum a tribuno Valerio interfectus est. Corvus non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Corvinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorum trium et viginti consul est factus. (da Eutropio)

VERSIONE 2 Breve regno dell'imperatore Galba

Neroni Galba successit, antiquissimae nobilitatis senator et rei militaris peritissimus, cum septuagesimum et tertium annum ageret. Ab Hispanis et Gallis imperator electus est. Mox ab universo exercitu acceptus est: nam privata eius vita insignis fuerat militaribus et civilibus rebus. Saepe consul, saepe proconsul, frequenter dux in gravissimis bellis fuit. Huius breve imperium fuit. Nam Galba ad severitatem propensior videbatur. Insidiis Othonis, viri insignis crudelitatis, occisus est imperii mense septimo. Nam Othonis milites eum in foro iugulaverunt et crudelissime in eius corpus saevierunt. Sepultus est in hortis suis, qui sunt in Aurelia via non longe ab urbe Roma. (da Eutropio)

VERSIONE 3 Marco Atilio colpisce col bastone un Gallo

Magnum inter haec fortitudinis exemplum antiquitas offert. Romani, Gallorum exercitu pulsati, cum se in Capitolium et in arcem conferrent inque his collibus morari omnes non possent, in plana parte urbis seniores reliquerunt, ut iuvenes patriam defenderent. Ceterum ne illo quidem tam misero tamque luctuoso tempore civitas nostra virtutis suae oblita est: nam defuncti honoribus ("i magistrati più anziani"), inter quos M. Atilius erat, apertis ianuis, in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant, consederunt. Venerabilis eorum aspectus primo hostibus fuit, et novitate rei et magnificentia cultu et ipso audaciae genere commotis. Sed Galli victores illam admirationem mox in risum et in omne contumeliae genus converterunt. Non expectavit igitur hanc iniuriae maturitatem M. Atilius, qui Gallo, barbam suam permulcenti, scipionem vehementi ictu capiti infixit et corpus obtulit ei, propter dolorem ad se occidendum ruenti. (da Valerio Massimo)

VERSIONE 4 Un terribile sogno premonitore

Apud Actium ("Azio") M. Antonii fractis opibus Cassius Parmensis, qui partes eius secutus erat, Athenas confugit. Ubi, concubia nocte, cum sollicitudinibus et curis mente sopita in lectulo iace-ret, existimavit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba et capillo inmisso ("capelli incolti"), interrogatumque quisnam esset, respondisse: "Scito ('sappi') me malum genium tuum esse". Perterritus deinde taetro visu et nomine horrendo, Cassius servos inclamavit sciscitatusque est num quem ("se qualcuno") talis habitus aut intrantem cubiculum aut exeuntem vidissent. Quibus adfirmantibus neminem illuc accessisse, iterum se quieti et somno dedit, atque eadem species ("visione") animo eius

obversata est. Itaque, fugato somno, lumen intro ferri iussit et servos a se discedere vetuit. Inter hanc noctem et supplicium capitis, quo eum Caesar adfecit, parvulum admodum temporis intercessit. (da Valerio Massimo)

VERSIONE 5 Alcibiade, accusato di sacrilegio, emigra a Sparta

Athenienses, postquam in Siciliam Alcibiadem pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra violavisset (traduci con l'indicativo), reum fecerunt. Qua de re cum ei nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciae bene administrandae, non parere noluit et in trierem, qua ad eum erat deportandum missa, ascendit. Hac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia et crudelitate erga nobiles, utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem, clam se ab custodibus subduxit et inde primum Elidem, dein Thebas venit. Postquam autem se capitis damnatum bonis publicatis audivit, Lacedaemonem demigravit. (Cornelio Nepote)

VERSIONE 6 Triste fine di Milziade ad Atene

Miltiades accusatus est prodicionis, quod, cum Parum exspugnare posset, a rege corruptus infectis rebus ("abbandonando l'impresa") discessisset (traduci con l'indicativo). Eo tempore aeger erat vulneribus, quae in oppugnando oppido acceperat. Itaque, quoniam ipse pro se ("in sua difesa") dicere non posset ("poteva"), verba fecit frater eius Stesagoras. Causa cognita ("svoltosi il processo"), capitis absolutus sed pecunia multatus est eaque lis ("spesa giudiziaria") quinquaginta talentis aestimata est, quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quod solvere in praesentia non poterat, in vincula publica coniectus est ibique diem obiit supremum. (Cornelio Nepote)

VERSIONE 7 Un inganno del banchiere siracusano Pizio a Gaio Canio

Gaius Canius, eques Romanus, cum se Syracusas contulisset, dictitabat se velle hortulos aliquos emere, quo invitare amicos et ubi se oblectare posset. Tum Pythius, qui argentariam faciebat ("esercitava la professione di banchiere"): "Venales hortulos – inquit – non habeo, sed tibi licet, Cani, si vis, meis hortulis uti ut tuis". Et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Mox piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid vellet eos facere. Ad cenam, tempori ("a tempo debito"), venit Canius; convivium a Pythio apparatus erat; ante oculos erat cymbarum multitudo; piscatores quod ceperant afferebant et ante pedes Pythii pisces abiciebantur. Tum Canius: "Quaeso – inquit – quid est hoc, Pythi?" Et ille: "Quid mirum est? – inquit – hoc loco est ingens copia piscium, hic piscatores aquisitionem faciunt, neque hac villa carere (carere e abl., 'fare a meno di qualcosa') possunt". Canius, cupiditate incensus, contendit a Pythio ut villam sibi venderet. Ille primo gravatus est, sed tandem Canius rem impetravit et hortulos emit tanti, quanti Pythius voluit. Postridie Canius invitavit amicos suos, venit ipse mature: scalmum nullum videt. Quaerit ex vicino, num feriae piscatorum essent; "Nullae feriae, quod sciam ('a quanto io sappia') – inquit ille – sed hic piscari nemo solet; itaque heri mirabar". Stomachatur Canius atque suae stultitiae eum paenitere coepit. (da Cicerone)

VERSIONE 8 Il mondo è degli uomini

Mundus deorum hominumque causa factus est, quaeque in eo sunt, ea inventa et parata ad hominum bonum et utilitatem sunt. Est enim mundus quasi communis domus deorum hominumque aut urbs utrorumque est. Ut igitur Athenas et Lacedaemonem Atheniensium Lacedaemoniorumque causa putandum est conditas esse, omniaque quae sunt in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur, sic, quaecumque sunt in omni mundo, deorum sunt atque hominum. Nam circumitus solis et lunae reliquorumque siderum gratissimum spectaculum hominibus praebent. Quid de vitibus olivetisque dicam (“dovrei dire”)? Etiam si (“se”) uberrimos laetissimosque fructus non ederent (“producessero”), nihil quidem animalium interesset (“interesserebbe”); at hominum generis id vehementer interest semperque intererit. Neque ulla enim pecudum scientia est serendi, neque colendi, neque condendi ac reponendi fructus, sed earum omnium usus et cura hominum est. (da Cicerone)

VERSIONE 9 Età diverse, doveri diversi

Officia non eadem disparibus aetatis tribuuntur, aliaque sunt iuvenum, alia seniorum. Est adulescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia constituenta et regenda senum prudentia est. Maxime autem haec aetas a cupiditatibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae, quod erit facilius, si ne in eius modi quidem rebus maiores natu nolent interesse. (da Cicerone)

VERSIONE 10 Annibale e la città di Acerra

Cum Hannibal, adempta spe potiendae Nola, Acerras recessisset, Marcellus, extemplo clausis portis custodibusque dispositis, ne quis egrederetur, in foro quaestionem (“processo”) habuit de iis, qui clam in conloquiis hostium fuerant; supra (“oltre”) septuaginta damnatos proditionis securi percussit, bonaque eorum iussit publica populi Romani esse et, summa rerum (“il governo”) senatui tradita, cum exercitu omni profectus, supra Suessulam castris positus, consedit. Hannibal, primum conatus est perlicere Acerras ad voluntariam deditionem; inde, postquam videt obstinatos, urbem obsidere atque oppugnare parat. Ceterum Acerranis plus animi quam virium erat: itaque, desperata tutela urbis, ut circumvallari moenia viderunt, silentio noctis dilapsi, per vias inviaque qua (“per dove”) quemque aut consilium aut error tulit, in urbes Campaniae, quas satis certum erat non mutavisse fidem, perfugerunt. (da Livio)

VERSIONE 11 Stratagemma di Cesare assediato in Spagna dagli Afraniani e dalla piena dei fiumi

Cum in his angustiis res esset atque omnes viae ab Afranianis militibus equitibusque obsiderentur nec pontes perfici (“completare la costruzione dei ponti”) possent, imperat militibus Caesar ut naves faciant cuius generis (“di quel genere che”) eum superioribus annis usus Britanniae (“l’esperienza in Britannia”) docuerat. Carinae ac prima statumina ex levi materia (“legname”) fiebant; reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur. Has perfectas carris iunctis devehit noctu milia passuum a castris XXII militesque his navibus flumen transportat continentemque ripae collem improvise occupat. Hunc celeriter, priusquam ab adversariis sentiatur (“si venga a sapere”) communit. Huc legionem postea traicit atque ex utraque parte pontem institutum biduo perficit. Ita commeatus et, qui

frumenti causa processerant, tuto ad se recipit et rem frumentariam expedire incipit. Eodem die equitum magnam partem flumen traiecit. (da Cesare)

VERSIONE 12 Stima per gli agricoltori

Maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli: quanto peiorem civem existimaverint feneratorem quam furem, hinc licet existimare. Virum bonum quem laudabant, bonum agricolam bonumque colonum iudicabant: amplissime laudari ille existimabatur qui ita laudabatur. Sed mihi videtur mercator strenuus studiosusque rei quaerendae permagni existimandus esse, etiamsi interdum periculosus et calamitosus. Inter omnes constat ex agricolis et viros fortissimos et milites maxime strenuos natos esse: ergo omnium nostrum interest agriculturam semper colendam esse ad rei publicae utilitatem. (da Varrone)

Il dativo

VERSIONE 1 Il cavallo di Troia

Achivi cum per decem annos Troiam occupare non possent Epeus, monitu Minervae, equum mirae magnitudinis ligneum aedificavit et in eum intraverunt Menelaus, Ulixes, Diomedes, Thessander, Sthenelus, Acamas, Thoas, Machaon, Neoptolemus; et in equo scripserunt: "Danai Minervae dono dant" castraque transtulerunt apud Tenedum. Id Troiani cum viderunt, arbitrati sunt hostes abisse. Priamus rex ut Troiani in arcem Minervae equum ducerent imperavit, feriatique ("in festa") magno opere ut essent, edixit. Vates Cassandra, cum ("sebbene") diceret inesse hostes, fides ei habita non est. Postea, cum Troiani equum in arcem statuissent et ipsi noctu lusu atque vino lassi obdormissent, Achivi ex equo exierunt et portarum custodes occiderunt sociosque, signo dato, receperunt et Troia sunt potiti.

(da Igino)

VERSIONE 2 Sempronio Longo e Annone

Iisdem diebus quibus Cumae liberatae sunt obsidione etiam ad Grumentum ("Grumento", località della Lucania) Ti. Sempronius, cui Longo cognomen erat, cum Hannone poeno prospere pugnat. Supra duo milia hominum occidit, et ducentos octoginta milites amisit; signa militaria ad quadraginta unum cepit. Pulsus finibus Lucanis, Hanno retro in Bruttios sese recepit. Et ex Hirpinis oppida tria, quae a populo Romano defecerant, vi recepta sunt per Valerium praetorem, Vercellium, Vescellium, Sicilinum, et auctores defectionis securi percussi sunt. Supra quinque milia captivorum sub hasta venierunt; praeda alia militi concessa exercitusque Luceriam reductus est. (da Livio)

VERSIONE 3 Una truffa sventata da Demostene

Demosthenis quoque astutia mirifice cuidam aniculae ("vecchietta") succursum est, quae pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat, ea condicione, ut illam simul utrisque redderet. Quorum alter, interiecto tempore, tamquam mortuo socio, squalore obsitus, aniculae deceptae omnes nummos abstulit. Supervenit deinde alter, et depositum petere coepit. Haerebat misera in maxima pariter et pecuniae et defensionis penuria, iamque de laqueo et suspendio cogitabat. Sed opportune

Demosthenes ei patronus adfulsit, qui ut in advocacionem (“tribunale”) venit, “Mulier – inquit – parata est depositi se fide solvere; sed nisi socium adduxeris, id facere non potest; quoniam, ut ipse vociferaris, haec dicta lex est, ne pecunia alteri sine altero numeraretur”.
(da Valerio Massimo)

VERSIONE 4 La guerra contro Creta

Creticum bellum nos fecimus sola cupiditate vincendi nobilem insulam. Videbatur illa favisse Mithridati: hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti victoriae spe atque fiducia, adeo ut in navibus plures catenas quam arma portaret. Dedit itaque poenas vecordiae. Nam hostes plerasque naves interceperunt, et captiva corpora religantes velis ac funibus suspenderunt, ac sic velificantes in modum triumphantium (“come coloro che avevano trionfato”) Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde, totam insulam igni ferro populatus, intra castella et urbes redegit: adeoque saeve ei visum est in captivos consulere, ut veneno se plerique conficerent, alii deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et cum ille res in Asia gerens, eo quoque praefectum misisset Antonium, in aliena provincia inritus fuit, eoque infestior Metellus in hostes vim victoris exercuit, victisque Lasthene et Panare, Cydoneae ducibus, victor redit. (Floro)

VERSIONE 5 Esortazioni di Cicerone

Imitemur nostros Brutos, Camillos, Decios, Curios, Fabricios, Scipiones, innumerabiles alios, qui hanc rem publicam stabiliverunt; quos equidem in deorum immortalium coetu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis; praesentes fructus neglegamus, posteritatis gloriae serviamus; id esse optimum putemus, quod erit rectissimum; speremus quae volumus, sed quod acciderit feramus; cogitemus denique corpus virorum fortium magnorumque hominum esse mortale, animi vero motum et virtutis gloriam sempiternam. (da Cicerone)

VERSIONE 6 I piaceri sono nemici dell'uomo

Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum profugiamus; indurandus est animus et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Una Hannibalem hiberna solverunt; et indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta (“i divertimenti, gli ozi”) Campaniae; armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est, et quidem genere militiae, quo numquam quies, numquam otium datur; debellandae sunt in primis voluptates, quae, ut vides, saeva quoque ad se ingenia rapuerunt. Non est emolliendus animus: si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum est labori, cedendum est paupertati; idem sibi in me iuris esse (“avere lo stesso diritto su di me”) volet et ambitio et ira. Libertas proposita (“la posta in gioco”) est: ad hoc praemium laboratur. Quae sit libertas, quaeris? Nullis rei servire, nulli necessitati, nullis casibus. (da Seneca)

VERSIONE 7 Temistocle interpreta l'oracolo di Apollo

Pecunia publica, quae ex metallis (“dalle miniere”) redigebatur, Themistocles persuasit populo ut classis centum navium aedificaretur. Qua celeriter effecta, primum Corcyraeos fregit, deinde, maritimos praedones consectando, mare tutum reddidit; ita brevi tempore non solum Athenas divitiis ornavit, sed etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantae salutis fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico. Nam cum Xerses mari et terra bellum universae inferret Europae cum tantis copiis quantas neque antea nec postea

habuit quisquam, atque eius de adventu cum fama in Graeciam esset perlata et maxime Athenae peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, Athenienses miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit ut moenibus ligneis se munirent. Id responsum quid significaret cum intellexeret nemo, Themistocles populo persuasit consilium esse Apollinis ut in naves se suaque conferrent: eum enim a deo significari murum ligneum.

(da Cornelio Nepote)

VERSIONE 8 Deve sempre prevalere il bene dello Stato

Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos, video vos de meo periculo esse sollicitos. Est mihi iucunda et grata vestra erga me voluntas, sed eam, per deos immortales!, deponi te atque, obliti salutis meae, de vobis et de vestris liberis cogitate! Consuli te vobis, prospici te patriae, conservate vos, coniuges, liberos, fortunasque vestras, populi Romani nomen salutemque defendi te, mihi parce re ac de me cogitare desini te. Nam primum debeo sperare omnes deos, qui huic urbi praesident, pro meis meritis mihi relatores esse gratiam; deinde, si quid obtige rit, aequo animo paratoque moriar. Nam neque turpis mors forti viro potest accide re nec misera sapienti. Qua re, patres conscripti, incumbi te ad salutem rei publicae, circumspici te omnes procellas, quae impendent nisi provide tis.

(da Cicerone)

VERSIONE 9 Educazione di Epaminonda

Epaminondas, Polymnii filius, Thebanus fuit. Natus patre genere honesto, pauper iam a maioribus relictus, eruditus est autem sic, ut nemo Thebanus magis. Nam et citharizare et cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio, cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare (“danzare”) a Calliphrono. At philosophiae praeceptorem habuit Lisim Tarentinum, Pythagoreum; cui sic fuit deditus, ut adulescens illum tristem (“scorbutico”) ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteposuerit; neque prius eum a se dimisit, quam in doctrinis tanto antecessit condiscipulos, ut (“affinché” o “cosicché”?) facile intellegi posset pari modo superaturum esse omnes in ceteris artibus. Atque haec ad nostram consuetudinem sunt levia et potius contemnenda; at in Graecia magnae laudi erant. Postquam ephebus (“adolescente”) est factus et palestra dare operam (“dedicarsi”) coepit, non tam magnitudini virium servivit, quam velocitati: illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli exstimabat utilitatem pertine re.

(da Cornelio Nepote)

L'accusativo

VERSIONE 1 L'esercito romano passa in Africa

L. Manlio Vulso M. Atilio Regulo consulibus, Romani in Africam bellum transtulerunt. Cum in Africam transissent, primam Clypeam, Africae civitatem, in deditionem acceperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt et, multis castellis vastatis, Manlius victor Romam rediit et viginti septem milia captivorum reduxit; Atilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros aciem instruxit. Contra tres Carthaginiensium duces dimicans victor fuit. Tum victi Carthaginienses pacem a Romanis petiverunt, quam Regulus nisi (“se non”) durissimis condicionibus dare noluit; quam ob rem Afri auxilium a Lacedaemoniis petiverunt. At, duce Xanthippo, qui a Lacedaemoniis missus fuerat, Romanorum dux Regulus acerrimo proelio

victus est: duo milia tantum ex omni Romano exercitu refugerunt, quingenti cum imperatore Regulo capti sunt, triginta milia occisa, Regulus ipse in catenas coniectus est.
(da Eutropio)

VERSIONE 2 Cesare assale gli Elvezi presso il fiume Arar

Flumen Ararim, quod per fines Haeduorum et Sequanorum in Rhodanum influit, Helvetii ratibus ac lintribus iunctis transibant. Per exploratores Caesar certior factus est, tres iam partes copiarum Helvetios id flumen traduxisse, quartam partem citra flumen Ararim reliquam esse: quare, de tertia vigilia, cum legionibus tribus e castris profectus, ad eam partem pervenit quae nondum flumen transierat. Eos impeditos et inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit; reliqui sese fugae mandaverunt atque in proximas silvas abdidierunt. Is pagus appellabatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia in quattuor pagos divisa est. Hic pagus unus L. Cassium consulem interfecerat et eius exercitum sub iugum miserat. Ita sive casu sive consilio deorum immortalium, quae pars civitatis Helvetiae (“quella parte della popolazione dell’Elvezia che”) insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps (“per prima”) poenas persolvit. (da Cesare)

VERSIONE 3 Demarato introduce la cultura greca in Etruria

Fuisse quendam ferunt Demaratum Corinthium et honore et auctoritate et fortunis facile civitatis suae principem; qui, cum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non potuisset, fugisse cum magna pecunia dicitur et se contulisse Tarquinius, in urbem Etruriae florentissimam. Cumque audiret dominationem Cypseli confirmari (“consolidarsi”), defugit patriam, vir liber ac fortis, et adscitus est civis a Tarquiniensibus, atque in ea civitate domicilium ac sedes collocavit. Ubi cum de matre familias Tarquiniensi duos filios procreavisset, omnibus artibus ad Graecorum disciplinam eos erudit. (Cicerone)

VERSIONE 4 Il terremoto di Pompei

Pompeios, celebrem Campaniae urbem, consedissee terrae motu audivimus. Nonis Februariis hic fuit motus, Regulo et Verginio consulibus, qui Campaniam, numquam securam huius mali, indemnem tamen et totiens defunctam metu, magna strage vastavit. Consternatio omnium est, ubi (“quando”) tecta crepuerunt et ruina signum dedit. Tunc praeceps (“a precipizio”) quisque se proripit et penates (“abitazioni”) suos deserit. Quam latebram (“rifugio”) prospicimus, quod auxilium, si orbis ipse ruinas agitat? A tempestate nos vindicat (“mettere al riparo”) portus; nimborum vim effusam et sine fine cadentes aquas tecta propellunt; fugientes non sequitur incendium; in pestilentia mutare sedes licet; nullum malum sine effugio est. Contra, hoc malum latissime patet inevitabile, avidum, publice noxium; non enim domos solum aut familias aut urbes singulas haurit; gentes totas regionesque submergit. (da Seneca)

VERSIONE 5 La città di Babilonia

Alexander cum curru in urbem ac deinde regiam intravit. Urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium animos ad admirationem movit. Murus spatium triginta pedum in latitudinem amplectitur: quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeari possunt. Altitudo muri quinquaginta cubitorum eminent spatio: turre decem pedibus quam murus altiores sunt. Aedificia non sunt admota (“accostati”) muris, sed spatium fere unius iugeri absunt. Euphrates interfluit magnaefque molis crepidinibus coercetur. Sed omnium operum magnitudinem circumveniunt cavernae ingentes, in altitudinem pressae (“scavate in

profondità”) ad accipiendum impetum fluminis. Pons lapideus, flumini impositus, iungit urbem: hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus est. (da Curzio Rufo)

VERSIONE 6 Il filosofo Pitagora a Crotona

Pythagoras philosophus, profectus primo in Aegyptum, deinde Babylonem, ut siderum motus perdisceret, summam scientiam consecutus erat. Inde regressus Cretam et Lacedaemona ad cognoscendas Minois et Lycurgi inclitas ea tempestate leges contenderat. Postea Crotonam venit, populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis revocavit. Laudabat cotidie virtutem, et vitia luxuriae casusque civitatum ea peste perditarum enumerabat. Matronas quoque et pueros separatim instituit. Docebat has pudicitiam et obsequia in viros; illos modestiam et litterarum studium. Inter haec docebat omnes frugalitatem, cunctarum virtutum genitricem. Sic matronae auratas vestes ceteraque dignitatis suae ornamenta, velut instrumenta luxuriae, deposuerunt.

(da Giustino)

VERSIONE 7 Tarquinio Collatino lascia il consolato

Regibus eiectis, mox etiam Tarquinii consulis nomen invisum (“malvisto”) civitati fieri coepit, quod periculosum esse rei publicae libertati videretur. Tum Brutus consul, plebe ad contionem vocata, ita Collatinum adloquitur: “Neminem latet regium nomen ac genus non solum in civitate, sed etiam in imperio esse; scito id officere atque obstare libertati. Tua sponte, L. Tarquini, hunc remove metum. Meminimus a te reges eiectos esse; absolve beneficium tuum (‘dimostra la tua buona disposizione’), aufer hinc regium nomen; id civitas ipsa te flagitat. Amicus (‘da amico’) abi”. Primores civitatis eum circumsistunt atque eadem multis praecibus orant. Tum denique Collatinus consul abdicavit se magistratu atque civitate cessit. (da Livio)

VERSIONE 8 Una vendetta di Cerere

Dicitur Ceres solis ab occasu usque ad solis ortus frustra quaesivisse natam suam. Denique labore sitique fessa, cum forte casam stramine tectam vidisset, pulsavit parvam ianuam ut cibum et aquam peteret. Prodit anus, et deae limpham roganti dulce (“una bevanda dolce”) dedit, quod tosta polenta (“orzo abbrustolito”) texerat. Dum Ceres bibit, puer audacis et duri oris (“viso”) ante deam constitit et eam risit, nec eum puduit illam vocare avidam. Deam non fugit pueri insolentia; statim eum liquido mixto polenta perfudit: os illius maculas combibit (“si riempì di macchie”), brachia crura facta sunt, cauda membris addita est; puer in brevem formam, ne ei magna vis nocendi esset, contractus est, et corporis mensura minor parva lacerta fuit. Puer, quem vires deficiebant, iratam deam et anum flentem fugit atque latebram petit. Nunc, stellatus (“costellato”) corpus (acc. di relazione) variis guttis, habet nomen colori aptum (cioè, lo stellio, piccola lucertola dalla pelle maculata). (da Ovidio)

VERSIONE 9 Umanità di Cecilio Metello

Metellus, Celtibericum bellum gerens, cum urbem quandam obsideret et iam, admota machina partem muri, quae sola convelli poterat, disiecturus videretur, humanitatem propinquae victoriae (dativo) praetulit. Nam filios Rhoetogenis (“Retogene”), qui ad Romanos defecerat, oppidani obiecerant (avevano esposto) machinae ictibus; quod cum Metellus conspexisset atque eum pigeret pueros in conspectu patris tam crudeli genere mortis consumi, machinam illinc removeri iussit. Quo quidem tam clementi facto non unius civitatis,

sed omnium Celtiberarum urbium animos cepit; tradunt enim fere omnes civitates sua sponte ad Metellum consulem defecisse. (da Valerio Massimo)

VERSIONE 10 Cicerone scrive a Sulpicio

A te peto in maiore modo pro nostra amicitia, ut in hac re etiam elaborares de qua docere volo. Dionysius, servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit (“ebbe a disposizione”), cum multos libros surripuisset nec se impunitum fore putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum et M. Bolanus, meus familiaris, et multi alii Naronae (“a Naronae”) viderunt, sed, cum se a me manumissum diceret, crediderunt. Hunc si tu mihi restituendum curaveris, non te effugere potest quam mihi hoc gratum futurum sit. Res ipsa parva est, sed animi mei dolor magnus. Ubi sit et quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te recuperavero, summo me beneficio adfectum arbitrabor. (da Cicerone)

VERSIONE 11 Invidia degli Ateniesi verso Cimone

Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum iuris civilis tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitiis fuerat versatus. Itaque hic et populum urbanum in sua tenuit potestate et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit, oppidum Amphipolim constituit eoque X milia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit eodemque die pari fortuna in terra usus est. Nam, hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit barbarorumque maximam vim uno concursu prostravit. Qua victoria magna praeda potitus, cum domum reverteretur, quod (“poiché”) iam nonnullae insulae propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, vacuefecit, sessores veteres ex urbe insulaeque eiecit, agros civibus divisit. Thasios (“gli abitanti di Taso”) opulentia fretos suo aduentu fregit. His ex manubiis arx Athenarum, qua ad meridiem vergit, est ornata. Quibus rebus cum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam, quam pater suus ceterique Atheniensium principes. Nam testarum suffragiis, quod illi “ostrakismon” (“ostracismo”) vocant, X annorum exilio multatus est. Cuius facti celerius Athenienses quam ipsum paenituit. (da Cornelio Nepote)

VERSIONE 12 Stratagemma di Quinto Metello

Q. Metellus, cum pro consule bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret, urbemque Contrebiam, caput eius gentis, viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis, viam repperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat: hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur, cum interim (“e intanto”) tam suis omnibus quam ipsis hostibus ignota erat causa inopinatae eius ac subitae fluctuationis. Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi quid ita sparsum et incertum militiae genus sequeretur, “Absiste (‘Smetti’) – inquit – istud quaerere: nam si huius consilii mei interiorum tunicam (‘la parte interna della mia tunica’) consciam esse sensero, continuo eam cremari iubebo”. Quorsum igitur ea dissimulatio erupit aut quem finem habuit? Postquam vero et exercitum suum ignorantia et totam Celtiberiam errore implicavit, cum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit eamque oppressit. (Valerio Massimo)

VERSIONE 13 Benemerente della Sicilia

Antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur dicenda esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate. Nam cum omnium sociorum provinciarum rationem (“considerazione”) diligenter habere debetis, tum precipue Siciliae plurimis iustissimisque de causis: primum quod (“in primo luogo perché”) omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Romani applicavit. Prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quam praeclarum esset exteris gentibus imperare; sola fuit tanta fide benevolentiaque erga populum Romanum, ut civitates eius insulae, quae semel in amicitiam nostram venissent (“erano venute”), numquam postea deficerent, pleraeque autem et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent. Itaque maioribus nostris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus est.

(Cicerone)

L’ablativo

VERSIONE 1 Prime imprese di Datame

Datames patre Camisare, natione Care (“Caria”), matre Scythissa natus, primum apud Artaxersen fuit in numero eorum militum qui regiam tuebantur. Pater eius Camisares, quod et manu fortis et bello strenuus et regi multis locis (“occasioni”) fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciae iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames, militari munere fungens, primum, qualis esset, aperuit in bello quod rex adversus Cadusios gessit. Namque hic (“qui”, “in questa occasione”), multis milibus regionum militum interfectis, magni fuit eius opera. Cum in eo bello cecidisset Camisares, ei tradita est provincia. Pari virtute postea se praebuit. Nam huius opera multi hostes profligati sunt.

(da Cornelio Nepote)

VERSIONE 2 Sicinio Dentato

L. Sicinium Dentatum, qui tribunus plebis fuit Sp. Tarpeio A. Aternio consulibus, scriptum est in libris annalibus strenuum bellatorem fuisse et nomen (“soprannome”) ei factum ob ingentem fortitudinem appellatumque esse Achillem Romanum. Is pugnasse in hostem dicitur centum et viginti proeliis, cicatricem aversam (“sul dorso”; le ferite sul dorso erano ritenute segno di viltà, perché ricevute fuggendo di fronte al nemico) nullam, adversas (“sul petto”) quinque et quadraginta tulisse, coronis donatus esse aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, civicis quattuordecim, torquibus tribus et octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti; phaleris item donatus est quinquies viciesque; spolia militaria habuit multiuga, in his provocatoria pleraque; triumphavit cum imperatoribus suis triumphos novem. (da Aulo Gellio)

VERSIONE 3 Ritratto di Ificrate

Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compareretur, sed ne maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum vero in bello est versatus, saepe exercitibus praefuit, nusquam culpa male rem gessit, semper consilio vicit, tantumque eo consilio valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Bellum cum Thraecibus gessit, Seuthem, socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum tanta

severitate exercitui praefuit, ut nullae umquam in Graecia neque exercitatiores copiae neque magis dicto audientes fuerint duci. (Cornelio Nepote)

VERSIONE 4 Lodi della Campania

Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campania plaga est. Nihil mollius caelo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hic (avv. di luogo) sunt nobiles portus: Caieta, Misenus, tepentes fontibus Baiae, Lucrinus et Avernus. Hic sunt montes vitibus amicti (da amicio): Gaurus, Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium, Vesuvius, Aetnaei ignis imitator. Urbes apud mare sunt Formiae, Cumae, Puteoli; Neapolis, Herculanaeum, Pompeii, et ipsa Capua, caput urbium, quondam inter tres maximas numerata simul cum Roma et Carthagine. (da Floro)

VERSIONE 5 Strana morte di grandi poeti greci

Aeschyli poetae excessus, etsi non voluntarius fuit, propter novitatem casus nobis videtur referendus (“riferire”). In Sicilia olim e moenibus urbis, in qua morabatur, egressus, loco aprico resedit. Super quem aquila, testudinem ferens, elusa splendore capitis – caput enim capillis vacuum erat – perinde atque (“in modo simile a”) lapidi eam inlisit, ut fractae testudinis carne vesceretur. Eo quidem ictu subitâ ac miserâ morte extinctus est poeta ille, qui tragoediae principium fecerat.

Etiam Homeri mortis causa fertur: ille in insula Io creditur, dolore absumptus quia quaestionem, a piscatoribus positam, solve non potuisset (traduci con l’indicativo).

Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est: nam in Macedonia, ab Archelaï regis cenâ domum hospitem repetens (“ritornare”), canum morsibus laniatus obiit: crudelitas fati tanto ingenio non debita (“meritata da”).

(da Valerio Massimo)

VERSIONE 6 Le corone militari

Militares coronae multae et variae sunt. Quarum quae nobilissimae sunt, has ferme esse accepimus: “triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, navalem”; est autem ea quoque corona, quae “ovalis” dicitur, est item postrema “oleaginea”, qua uti solent, qui in periculo non fuerunt, sed triumphum procurant. “Triumphales” coronae sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Haec antiquitus e lauro erant, post fieri ex auro coeptae sunt. “Obsidionales” est quam (“quella che”) ii, qui liberati obsidione sunt, dant ei duci, qui liberavit. Ea corona graminea est. “Civica” corona appellatur, quam civis a civi, a quo in proelio servatus est, testem vitae suae salutisque perceptae dat. “Muralis” est corona, qua donatur ab imperatore, qui primus murum subiit inque oppidum hostium per vim ascendit. “Castrensis” est corona qua donat imperator eum, qui primus hostium castra pugnans introivit; ea corona insigne valli habet. “Navalis” est, qua donari solet maritimo proelio qui primus in hostium navem armatus transiluit; ea quasi navium rostris insignita est. Et “muralis” autem et “castrensis” et “navali” fieri ex auro solent. “Ovalis” corona murtea est; ea utebantur imperatores, qui ovantes urbem introibant.

(da Aulo Gellio)

VERSIONE 7 Un portentoso materasso

Augustus, cum in villa esset atque iniqua⁷ febricula⁷ laboraret, noctes inquietas plerumque agebat. Etenim non amplius horas quinque quiescere poterat nec eas continuas, cum somnum rumperet creber tristisque noctuae cantus; unde fiebat ut nocte ter quaterve repente expergisceretur. Qua molestia cum liberari non posset, lectorem arcessere cogeatur, ut vox legentis submissa somnum sibi conciliaret. Olim, cum audivisset senatorem quendam, quamvis aere alieno oppressum, arte et graviter dormire solitus esse, misit confestim in urbem servum, qui vel magno illius culci⁷ tam emeret. Demirantibus amicis et quaerentibus cur tantopere eius interesset alienam culci⁷ tam habere: “Ad somnum conciliandum illa, inquit, culci⁷ ta mihi opus est, in qua homo, qui tantum debebat (‘era debitore’, cioè aveva debiti), semper dormire potuit”. (Macrobio)

VERSIONE 8 Timoleonte scaccia Dionisio da Siracusa

Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est. Cuius adversarii opem a Corinthiis petierunt (= petiverunt) ducemque, quo in bello uterentur, postularunt (= postularunt). Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. Cum (“Sebbene”) eum interficere posset, noluit, atque effecit ut tuto Corinthum perveniret. Nam Dionysii opibus Corinthii saepe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriam volebat exstare; praeterea eam praeclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiae quam crudelitatis. Post Dionysii decessum (“partenza”), cum Hiceta⁷ bellavit, qui adversatus erat Dionysio. Hoc superato, Timoleon maximas copias Carthaginensium apud Crimissum flumen fugavit. (da Cornelio Nepote)

VERSIONE 9 Provvedimenti contro i ladri

Draco leges, quibus Athenienses uterentur, primus omnium tulit. In illis legibus furem supplicio capitis puniendum esse, et alia pleraque nimis severe censuit sanxitque. Postea legibus aliis mitioribus, a Solone compositis, Athenienses usi sunt. Is Solon ex septem illis inclitis sapientibus fuit. In sua lege in (“contro”) fures, non, ut Draco antea, mortis, sed dupli poena vindicandum esse existimavit. Decemviri autem nostri, qui post exactos reges leges, quibus populus Romanus uteretur (“si avvaleva”), in duodecim tabulis scripserunt, neque pari severitate in puniendis furibus omnium generum, neque remissa nimis lenitate usi sunt. Nam furem, qui manifesto furto prehensus esset (“era stato sorpreso”), tum demum occidi permiserunt, si aut nox esset (“era”), cum faceret furtum, aut interdiu telo se, cum prehenderetur, defenderet (“si difendeva”). (da Aulo Gellio)

VERSIONE 10 Il re di Persia e il suo seguito

Cultus (“abbigliamento”) regis inter omnia luxuria⁷ notabatur: purpureae tunicae medium album intextum erat, pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se concurrerent, adornabant; ex zona aurea muliebriter cincta acina⁷ cem (“scimitarra”, sorta di spada) suspenderat. “Cida⁷ rim” Persae vocabant regium capitis insigne (“copricapo”): hoc caerulea fascia albo distincta circumibat. Currum decem milia hastatorum sequebantur; hastas argento exornatas, spicula auro praefixa (“con la punta d’oro”) gestabant. Dextra⁷ laeva⁷ que regem ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta milibus peditum, quos equi quadringenti sequebantur. Intervallo deinde unius stadii matrem Dare⁷ i Sisigambim currus vehebat, et in alio erat coniunx. Turba feminarum reginas comitantium equis vectabatur. Quindecim deinde, quae “aramaxas”

appellabant, sequebantur. In his erant liberi regis, et quae (“le donne che”) educabant eos. Postea, sexcenti muli et trecenti camelī pecuniam regis vehebant, praesidio sagittariorum prosequente. Propinquorum amicorumque coniuges, lixarumque et calorum greges (“folla”) vehebantur. Ultimi erant, quisque cum suis ducibus, leviter armati (“gli armati alla leggera”). (da Curzio Rufo)

VERSIONE 11 Ambizione di Pausania

Pausanias Lacedaemonius magnus homo, sed varius in omni genere vitae fuit: nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. Huius illustrissimum est proelium apud Plataeas. Namque illo duce Mardonius, satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum et manu fortis et consilii plenus, cum ducentis milibus peditum, quos viritim legerat, et viginti milibus equitum haud ita magna manu Graeciae fugatus est, eoque ipse cecidit proelio. Qua victoria elatus (“orgoglioso”), plurima miscere (“ordire intrighi”) coepit et maiora concupiscere. Sed primum in eo est reprehensus, quod (“il fatto che”) ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset (traduci con l’indicativo) epigrammate inscripto (“con una iscrizione in versi”), in quo haec erat sententia: suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos eiusque victoriae ergo Apollini donum dedisse. Hos versus Lacedaemonii exculpserunt neque aliud scripserunt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi. (Cornelio Nepote)

VERSIONE 12 Ercole e Caco

Traditum est Herculem, Geryone interempto, in ea loca abegisse (da abigo, “spingere”) boves mirae specie, prope Tiberim fluvium, ut quiete et pabulo laeto eos reficeret. Ibi ipse quoque fessus via procubuit; eum cum sopor oppressisset, pastor accola eius loci nomine Cacus, Vulcano satus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, cum avertere praedam vellet, aversos (“volti all’indietro”) boves caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitus, cum gregem perlustravisset oculis et partem abesse sensisset, perguit ad proximam speluncam, si (“per vedere se”) forte eo vestigia ferrent. Postea, confusus atque incertus animi, ex loco infesto agere porro armentum coepit. Cum quaedam boves mugissent, ut fieri solet, vox inclusarum boum ex spelunca reddita est atque Herculem convertit (“fece girare”). Cacus, terrore captus, cum frustra conatus esset Herculem vi prohibere, ictus clava, morte occubuit. (da Livio)